

ens, in iustorumque distinctio ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum 2.) in Jure diriguntur, qui supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur Posit. Hum. bonos. Verum enim verò, cùm huic Juri satis sit, prospicere, ne status corruptus magis magisque corrumpatur; ad declinanda ejus incommoda à rigore Juris N. non raro recedit. *Qvod si primi homines*, inquit planè ad mentem nostram *Conringius disp. de Oligarchiâ* §. 34. peccato se non contaminassent, ne quidem illa, quæ natura consulit, transgressi fuissent; jam autem sèpè transgrediuntur, imò majorum malorum vitandorum causâ coguntur transgredi, ac proinde à lapsu illò emersit novum aliquod fūs Gentium supra moribus & malitiâ hominum ita fundatum, ut ex duobus malis semper minus eligat. *Qvod si verò Jus G. tantæ est indulgentiæ*; cur civile majoris sit rigoris?

## §. IX.

Hanc vero causam ad omnia iterum exempla, quæ cap. I. §. 26. seqq. proposuimus, absq;e difficultate applicare possumus.

## §. X.

Nihil 1.) ad statum corruptum magis corrumpendum aptius & validius est dissidiis, quæ omnium societatum pestes sunt meritoq; dicuntur. Illa verò ut declinentur, incrementa ex alluvione §. 26. à jure positivô humano rata habentur, & usucapio aut præscriptio nec non tolerabilis in contractu inæqualitas §. 27. probatur.

## §. XI.

Nihil 2.) in statu corrupto quietem turbat magis, quam metus imminentis mali. Hinc §. 28. perduellum liberi in societatem pœnæ pertracti, ne ad parentum exemplum succrescant; sicuti de Maratocuprenorum parvâ sobole tum cum parentibus deleta loquitur *Ammianus Marcellinus L. 28.* Ex eâdem causâ indultæ §. 29. Repressaliæ. *Magna enim alioqui daretur injuriis faciendis licentia*, cùm bona imperantium sèpè non tam facile possint in manus venire, quam privatorum, qui plures sunt; *Grot. L. III. c. 2.* §. 2. Item ob hanc rationem permitta alienæ occupatio urbis §. 30. si ab hoste non inanis fuerit metus de præventione. Imò verò metu incommodorum, quæ senibus utriusque sexus sunt in vita